



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 64. Florentini ægerrime Regis petito aquiescentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](#)

ejus filius intulisset; hunc enim insimu- Sæcul. XV.  
labant Veneti, quod, nonnullis auro cor- A.C. 1492.  
ruptis, eorum fontes veneno inficere ten-  
tasset, atque illorum copiis interea in  
Ferrariensi obsidione detentis, omnium  
Italiæ Principum foedus contra eos con-  
flasset, quorum potentia haud dubie il-  
los penitus oppressisset, nisi eis Ludovi-  
ci inconstantia, ac perfidia saluti fuisset.

### §. LXIV.

#### *Florentini ægerrime Regis petitio aquiescentes.*

Perronius Venetorum responso parum contentus, ad Florentinorum Rem publicam divertit, postulans, ut pro veteri Gallos inter & Florentinos amicitia, regiis copiis liberum per eorum ditiones transitum concederent, annonam, ceteraque ad bellum necessaria justo pretio suppeditarent, ac præterea unam bellatorum centuriam instruerent, Reipublicæ sumptibus toto belli tempore alendam. Hæc petitio non parum turbabat Petri Medicæi animum, qui tamen mox respondit, Florentinis equidem nil optatius esse, quam Gallorum amicitiam; ast hanc ipsam exposcere, ut Galliarum Rex a suo postulato desisteret; non enim Duci integrum esse, Regis exercitu Italiam necdum ingresso, ejusdem precibus præ-

*Hist. Eccles. Tom. XXX. M m cccii*

**Sæcul. XV.** coci consilio aquiescere, quin extremo  
**A.C. 1493.** Rempublicam exitio exponeret, quod  
 ipsi haud dubie a Neapolis Rege immi-  
 neret. Reposuit Baschius totum nego-  
 tium summa taciturnitate premendum,  
 sua vero repulsa Florentinos sibi Regis  
 Franciæ odium accersituros, primumque  
 armorum suorum furorem experturos,  
 semelque ab eo devictos, non solum de-  
 vastatam Provinciam, sed etiam liberta-  
 tis suæ jacturam deploratueros. Nec in-  
 anes erant Perronii minæ; quocirca Pe-  
 trus Medicæus de ultimo responso cogi-  
 tandi spaciū exposcebat, moræ benefi-  
 cio occasionem nacturus, qua Ferdinandum  
 edoceret de angustiis, quibuscum  
 luctaretur, necnon eidem exponeret ne-  
 cessitatem, qua Regis postulato cedere  
 cogeretur, ne Florentinorum seditionem  
 in se concitaret. Evidē Ferdinandō  
 haud probabantur allatæ Medicæi ratio-  
 nes, nihilominus Florentini foederis ar-  
 ticulos a Perronio Baschio oblatos post  
 longas temporis inducias firmabant.

### §. LXV.

*Ambiguum, ac vulgare Pontificis re-  
 sponsum.*

**S**olus supererat Pontifex, cuius confe-  
 ctum Perronius subiens primo expo-  
 suit, quod Rex uni ex filiis ejus, quem  
 ad